

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

CLEMENTI PAPÆ XI.

GRANATENSE REGALE COLLEGIVM Sanctæ Crucis Fidei

CONSTANTEM, HVMILLIMAMQVE testatur obedientiam.



ACTATAM diù, (Beatissime Pater: Cœli Janitor: Orthodoxorum Arbiter: Et portum Ecclesiæ Triumphantis Clave recludẽs, & Militantis Ecclesiæ navem clavo gubernans; Consonum, & indeficiens Divinæ articulationis organum: Supreme Catholicorum omnium, & Præsul, & Parens, cui Sanctus Spiritus vnam, & sanctam, Vniversalem, veluti sponsam, copulavit Ecclesiam; vt, secundum Apostolum, vnius vxoris, & Vir extitisses, & Caput:) Agitatam, ergo, ebullientibus turbidorum Dogmatum procellis, quassari, penèquè mergi veræ Doctrinę cymbam in spatioso Galliarum pelago, aliquot ab hinc annis, Catholicorum cœtus, non sine mœrore, recordantur: Infirmitati compatientes, vrebantur scandalo, sed tempestatem obortam, haud quasi aliquod novum, demirantes; siquidem Regionem illam, vti feracissimam Incolarũ, ita simultatibus obnoxiam vsquè fuisse, minimè ambigebant; contentionibus eam noverant exuberantem, pariter ac indigenis; qui quidem, tam quod opinionibus dissideant, quam Natali solo conveniunt, quasi more ingenito, compelli patiuntur: ita vt in dissimilem naturam eorum inveterata consuetudo coaluisse censeatur; quan

quandoquidem ea vſquè ad profitendæ Religionis diſputationes progreditur, quas cum ipſi facilè ſibi,& novitèr proponant,contumacitèrquè defendant, non eas certis, propatuliſquè theſibus concludi permittunt;ſed ſinuoſis,ambiguiſquè controverſijs patefieri nituntur; vt nemo inficietur, eiuſmodi ingenia ſolummodò diſcordià convenire, & in motu duntaxàt conſiſtentiam habere.

Hinc eſt, quod Janſenianæ Scholæ ſemen, & eius in aperto Galliarum campo ingens propago, ſic altas radices agere,diffuſoſquè ramos tendere,à proximè elapſo ſæculo, vſqne nunc , potuiſſe videatur; cuius proceritatem per Chriſtianiſsimi,nunquamquè ſatis laudati, Regis Ludovici XIV. zelum invigilans, & ſi non frangi, aut ſuccidi .ſaltem coerceri,aridamquè reddi,vel ipſius Regis Hoſtes non ignoraſſe fatentur.

Sed cum Regiæ poteſtatis in Provincia, leges circa internos animi ſenſus non , niſi incaſſum, ferri queant; deciſsioneſque in diſputationibus , regulas fidei attingentibus , incapacitatem temporalis Principatus effugiant, Regì deficiebant vires, vt Sæculari, licet potenti, brachio, aut ſecaret, aut evelleret arborem ſic expanſam, diùque radicantem : vndè cum ſeditioſam inſolẽtiã (Hæreticorum mores redolentem) ſolùm cohibuiſſe, & ſi non penitùs, conſequeretur, expetitiquè eſſent à Satana Prælati, alijque Doctores,cribratiquè ſicut triticum,delatam diſputationem Sanctæ Sedi, (cui in Perſona Petri,Æternum Patrem D.N.Jesv-Chriſto rogante,promiſſa fides indeficiens cõſtanter creditur)Catholicus Orbis reſolvendã expectavit, & judicio Sanctitatis Tuæ obſtringens fidem, ſe ſolo auditu, obedientia , & confeſsione adſcripſit reſponſurũ:in cuius(ſic operoſæ) cauſæ progreſſu,& deciſsione,SãctitatemTuam,benignitate Apoſtolica vtentem, protraxiſſe judicium, diſtuliſſe ſententiam,continuiſſe Oraculum, aliquandiùquè moratam fuiſſe, pro comperto habetur ; patienter enim ferens, cunctabatur,& ſperabat arborem, vſquedùm infructiferam,beneficio dilati temporis vtilem redituram ; ſed vbi tranſactis pluribus annis , non ſolum ſterilem , verùm exitjoſam fore cognovit , ne terram

occu-

occuparet, vna, & iterata percussione succidendam decrevit;continuòquè per vnam Constitutionem, deinde per alteram,quæ incipit *Vnigenitus Dei Filius* deijcere non retardavit.

Debuerant enim damnatæ Scholæ Doctores, qui antehàc liberè sentiebant,,liberiùsquè disputabant,ictu formidabili bis percussi,desinere velle conformari huic sæculo,sed reformati in novitate sensus,asserere Sanctitatis Tuę Constitutionem esse voluntatem Dei bonam, &.beneplacentem,& perfectam : Debuerant vtiquè; sed minimè peregerunt; quinimò (Etnicorum fabulis, exēplo suo veritatem astruentes) alia, & plura capita extollere,colla erigere,liberrimè sibilare,novos errores adoriri,anterioribus niti, erumpentes serpentini, tortuosi, crispatiquè surculi (generatio perversa, & infideles filij) non destitere.

Obstupuit Catholicorum circulus,indoluitquè Gallicanam Ecclesiam,tantis retroactis sæculis Sanctorum, & propriorum Patrum scriptis præmunitam,Vniversitatemquè Sorbonicam,tot SummorumPontificumDiplomatibus decoratam; ita primam haud benè sibi con sulere, secundam quoquè non meliùs beneficia Pontifici Summo rependere, vt ambæ intra corpus suum patientèr,& palàm eos continere nō recusarent,qui malè, & impudentèr de SanctitatisTuæ decretis,ad fideiDogmata pertinentibus, sentire non verebantur; quin per notitiam punitionis deveniretur in cognitionē delicti, ac de sceleratorum combustione, priùs quam de contumacia, sparsi cineres restarentur.

In hoc ergo (præter alia multa) Beatissime Pater, præfati Doctores cum omnium Hæreticorum effronti turba coire, non erubescunt, quod infallibili veritati, per os tuum fidelibus populis à JESV-CHRISTO Domino Nostro patefactæ, derogare (licet innanitèr) præsumunt, & contra Sedis Apostolicæ authoritatem tumultuari petulantèr non reformidant: In EcclesiæVniversalis corpore demortua visibilia membra se haberi fatentur, cum sponte sua communione capitis visibilis avelluntur: Horrendum certè monstrum, & quod in serpentibus Natura portendit; vt membra capite procùl

cùl moveri videantur! Omnes igitur Fideles Vniversalis, & visibilis Ecclesiæ gremio suscepti, in vno corpore multa membra sumus, qui, & si non eundem actum habeamus, in eo tamen convenimus, quod quisque meminerit cuius corporis, & cuius capitis sit membrum: Nihil enim sic fatuum, quam cum Ecclesiæ visibilibus membris compaginatos se credere, & communem ipsorũ membrorum æconomiam refragari: si nos membra visibilia intuimur, & fatemur, cur capiti visibili subjecta diffiteamur? Quid absurdius magisque inversum quã quod membra caput dirigere præsumant, cum à capite (vtpotè solio mentis) derivatas directionis leges membra recipiant? Sanè quidem corpus Catholicæ Ecclesię, eiusmodi Doctorum revulsione turbatum, posset cum Apostolo queri, videns in membris (quæ sua conservari desiderat) aliam legem repugnantem legi mentis suę.

Fidelium Populi, qui fuerant virtute Dei custoditi per fidem in salutem paratam revelari, divulgatum indicem, præfataquè constitutione *Vnigenitus* insertum, perlegerunt, ac inflictarum propositionum seriem memoriæ mandare invigilarunt; non quod in Doctrinæ scopulos, eius latebras frequentando, corruerent; sed quod semper, præsente charta, latentes errorumSirtes fugiendo vitarent; aut quod inustionis causam refragantèr discuterent, sed quod damnationis merito concorditèr assentirent; cum nefàs duxerint, ea controvertere, de quibus prohibitum est dubitare; nec alicui liceat, in Sanctitatis Tuæ circa Religionem decisionibus, rationem hæsitando disquirere; sed infallibilem authoritatem decidentis profitendo venerari.

Cum equidem Hispanis (vt & cæteris verè Catholicis) liquerit, neminem posse Sanctitatis Tuæ decisioni vigorem ministerio verbi adijcere, nec suspensione taciturnitatis auferre; importunumquè fore adhibere approbationis suffragium, vbi duntaxàt permissum est respondere conformationis obsequio; tacuimus, Pontificium Oraculum vltrò reverẽtes, & si audiremus Gallicanam eiusdemDecreti refragationem: Tacuimus; sed væ nobis, quia tacendo ansam præbere visi sumus, vt illusi præfati Doctores inducantur machinari, Hispa-

paniæ silentium non esse Sanctitatis Tuæ constitutioni obedire, sed eorum inobedientiæ adhærere.

Hinc enim ortum habere censetur, quod per Hollandiæ publicas vagantes litteras, typis excusas, (quibus nullum interclusum est iter, nullaquè non peragrata Regio) divulgatum sit, Gallicanæ Ecclesiæ quosdam (impios) Doctores asserere, Hispaniæ Prælatos, Capitula, & litterarum Vniversitates, contra Sanctitatis Tuæ decreta Rebellibus consensu, & opinione favere: Execrabile prorsùs, perfricatæquè frontis mendacium! Cũ Hispania, vtpotè inter Gentes Apostolicæ Sedis Primogenita, glorietur, exosam vsquè habuisse malignantium Ecclesiam, & cum impijs nunquam sustinuisse consessum.

At verò, Beatissime Pater, in eo imposturæ convitio argumentum non contemnendæ laudis involvitur; cum ipsi Doctores suppositionibus fictis hallucinentur, vt Hispanorum exemplo (licet falsè apposito) proprios errores tueantur; & ostendant se ritè sentire, si probent, ex Hispanorum placitis sentiendi normam mutuari; consequentèrquè bene disposita arguendi methodo sic procedunt: Hispani Constitutionem *Vnigenitus* non admittunt; igitur Galli eam admittere non tenentur: Ac si dicerent: Hispani, apud quos despectui summa rerum habetur, si cum vel parvo Religionis discrimine comparatur: Hispani, quibus est pro natura, erga Sedem Apostolicam reverentia: Hispani, qui prius patientur non existere, quam inobedientes Pontifici Romano existimari: Rursus: Hispani, qui alienorum elogijs vndiquè commendantur; & (vt oportet) bonum testimonium ab his qui foris sunt habere noscuntur: Hispani, *quorum gravitas* (vt Laurentius Beierlinc Germanus observat) *ægrè à semel accepta, tam in fidei negotio, quam alijs in rebus resolutione, se avelli permittunt*: Hispani, de quibus Anglus Eduardus Vesthonus diffusam narrationem solvit, eorum erga Ecclesiam merita extollens, & sic scribens: *Denique quantum in litteris, simul ac pietate valeant hodierna die, demonstrant libri, probant imperia, orbis terrarum contestatur, Ecclesia benemerentibus filijs applaudendo significat*: Hispani, in quorũ Provincijs (vt asserit Italus Car-

dinalis Baronius) *Hoc planè sibi laudis vendicavit Ecclesia Catholica, vt non ab erroribus tantum, sed à suspicionibus esse voluerit suos immunes*; Hispani, quibus Philippus V. dominatur, nulli prædecessorum Religione, & Pietate secundus, vt sibi, & suis ipse sufficeret ad vendicandum Catholici cognomentum, *quo titulo* (ait Gallus Henricus Spondanus) *Reges Hispanorum facti sunt digni, quod non solum iurent se fore Catholicos, sed neque passuros quemquam nõ Catholicũ in amplissimo suo Regno permanere*: Hispani deniq̃, de quibus neminem *latere credidit* Summus Pontifex Gregorius VII. *eorum Regnum ab antiquo proprij iuris Sancti Petri fuisse*: Hispani itaquè (Calumniatores arguunt) Pontificiæ Constitutioni obtemperare recusant ; Inoxiùs ergo Galli eam resistere nituntur: Si in florenti, & viridi Religionis ligno hæc impunè fiunt, cur in altero forsàn arido, & marcescenti eadem fieri prohibeantur?

Si oporteret gloriari, in quo plus nobis gloriandum fore patebit, quam in eo, quod ipsa detractorum iniuria Hispaniæ laudem prætulerit? At pro huiusmodi gloriari non expedit; quia nullo honore rependitur, pudendum crimen, quod nobis irrogatur; & maximè cum, quoties de noxa procedit elogium, velle laudari sit augere delictum.

Hac iustissima occasione provocati Hispanorum Episcopi, Capitula, Vniversitates, Collegia, cæteræque plusquam communes Repræsentationes, porrigentes de impostura querelam, humillimam erga Sanctam Sedem, resignatamquè obedientiam sunt testati, pro qua non deserenda mortem subituri creduntur; & benè quidem singuli; nam cum inobedientes, seductores, & vaniloqui doceant, quæ non oportet, & in Domo sua Ecclesiam verè Catholicam, præcissam, & independentem à Capite Vniversalis Ecclesiæ stabilire contendant; ac incipientes ab Hispania, vniversas Domos subvertere tentent; quasi in singulis quibusque membris integrum, expeditumquè corpus subsistere posit, oportet vtique illos redargui à contrario exemplo; nimirùm cum distincta membra singulatim Ecclesiæ Capiti se subijciunt, & ab illo ritè separari posse minimè consentiunt; nec vsquam se permittunt infamari resecta, vt manifestent semper ei fuisse conjuncta. In-

Inter quæ, hoc noſtrum Regale Collegium, titulo *Sanctæ Crucis Fidei* Inſignitum, & in hac Ciuitate Granatenſi, Bœticæ Prouinciæ Metropoli celeberrima, à Sereniſsimo Carolo V. Imperatore, Catholicoquè Hiſpaniarum Rege, ſemper Auguſto, bino ab hinc ſæculo fundatum, (intra cuius muros, Granatenſis Imperialis Vniverſitas Litterarum, ſimul ab eodem Fundatore gloriatur erecta,) à triplici cauſa, nempè à principio, à medio, & à fine ſuæ Inſtitutionis, hanc erga SanctitatemTuam obedientiæ proteſtationem, ſibi inter omnes alios peculiarem fore demonſtrat: Prima ab Auguſtiſsimo Fundatore deducitur; nam cum Sereniſsimus Carolus V. Religionis Catholicæ fuerit infatigabilis propugnator; Apoſtolicæ Sedis, eiuſquè Authoritatis acerrimus defenſor, Hæreticorumquè omnium implacabilis inſecutor, debet hæc eius adoptata, & ſucceſsiva Poſteritas ſui Fundatoris, velut documenta, actiones imitari; & ſicut hæreditate poſsidet, quidquid honoris à murice Purpuræ Regalis accepit, ita Religionis, & Pietatis imitationem ſuo Benefactori retribuere.

Secunda à cognomento vendicatur, quo noſtrum Collegium ſingulari *Sanctæ Crucis Fidei* titulo decoratum dignoſcitur, & cum idem ſit Catholicam *Fidem* infringere, ac Apoſtolicæ Sedis reverentiam deſerere, ad nos ſpecialiter pertinet, contra decedentes à SanctitatisTuæ pedibus inſurgere, & velut inimicos Crucis Chriſti deturbare.

Tertia denique in aſſequendo fine noſtræ Inſtitutionis elucet, quæ, ne Provincia falſæ profeſsionis tyrannide maneret opreſſa, à principio nobis veræ Doctrinæ Magiſterium pro munere iniunxit; ſi enim finem in erectione huius noſtri Collegij propoſitum exequi negligimus, falsò piam voluntatem noſtri Fundatoris Auguſti adimplere dicemur; nec rei antiquitùs geſtæ oblivio locum execuſationi præbebit, cum obeundum nobis indelebile munus, ipſa perpetuò murorum ſaxa denuntient; ſiquidem in amplo huius magnificæ Domus, optimèquè elaborato frontiſpicio, īncīſsis Litteris hæc verba leguntur: *Ad fugandas Infidelium tenebras, hæc Domus litteraria fundata eſt*: Catholica profectò, & genero-

ſa

ſa inſcriptio! quæ, & curſus nobis metam deſignat, ſi infidelitatis vmbras exterminaſſe conſequimur; & jubet, nos accenſa face ſtadium ſanæ Doctrinæ percurrere; ac indutos arma lucis de Hoſte caliginoſo trophæa reportare; cumquè proſcriptio nullum Perfidiæ cæcutientis errorem exciperet, cunctorum infidelium tenebras fugari præcepit.

Indè nos, Beatiſsime Pater, ad Sanctitatis Tuæ pedes provolvimur, eoſquè humillimè exoſculantes, Catholicæ, & Apoſtolicæ Fidei proteſtationem itidèm renovamus; ac inſtructi Patrum Noſtrorum zelo, quos in Religionis exemplo hæreditare cupimus, pijs, Orthodoxiſquè eorum confeſsionibus inhæremus: Equidem in Nicæna prima Generali Synodo, vnus, & Hiſpanus Epiſcopus (quem vniverſa commendat Hiſtoria) Sancti Silveſtri inibì delegatus, tantum veræ fidei profeſsioni contribuit, *vt* (iuxta Divum Athanaſium adductum à C. Baronio) *Symboli Nicæni formulam ipſe conceperit*, quod poſtea in tertio Conſtantinopolitano Concilio adaucta expreſsione prolatũ, & in Toletano tertio reſumptũ, cæpit Hiſpania, inter Occidentales Provincias, *prima in Miſſarum ſolemnibus cunctorum Fidelium patula voce acclamare* vndè ad Galliam, itemquè Germaniam eiuſmodi pium, laudabilemquè ritum perveniſſe, ex Strabone refert Joannes Stephanus Durantus, natione Gallus.

In his Catholicæ Fidei confeſsionibus exempla nobis obtinendi Primatum Patres noſtri reliquerunt, vt eorum veſtigia ſequi poſsimus; ſic enim Sanctitatis Tuæ ab ipſius Hiſpanæ Nationis erga Apoſtolicam Sedem, & merito, & reverentia Magnitudini ſubſterni, Authoritati obſequi, Benignitati committi, Deciſsioni ſubijci, Voluntati obedire, Protectioniquè commendari ardenter exoptamus, & fideliter profitemur: A Finibus terræ ad Sanctitatem Tuam clamamus, vt dum anxiatur cor noſtrum, nos in Apoſtolicæ confeſsionis Petra ſolidatos, exaltare non dedignetur; protegendoquè in Tabernaculo ſuo à contradictione linguarum, præcipitet, & dividat eas, vt cum muta fiant labia doloſa, obſtructumquè os loquentium iniqua, ipſi erubeſcant, & conturbentur, & confundantur, & pereant,

& cog-

& cognoſcant, quia in nomine Domini tu ſolus Altiſſimus in omni terra, conſtitus es Legislator ſuper eos, vt ſciant quoniam homines ſunt.

Deus Optimus Maximus Sanctitati Tuæ, (quam Eccleſiæ ſuæ præeſſe, eiuſdemquè diligentiam habere voluit) fœlices, fauſtoſquè dies plurimorum annorum numero diſpertitos largiatur, &, poſt eos, vt nos omnes occurrentes in vnitatem Fidei, & agnitionis filij Dei, ſecum ad Æternæ Beatitudinis portum tranſvexiſſe congaudeat; interimquè vt, & Apoſtolicam Benedictionem nobis impartiri dignetur. Granatæ. In Regali Collegio Sanctæ Crucis Fidei. Die 22. Februarij. Anni 1718.

SANCTITATIS TVÆ

Humillimi, & addictiſsimi Servi.

Ludovicus Sanchez de Molina.
Sac. Theolog. Lic. & Collegij Vice-Rect.

Stephanus Murillo & Velarde.
Jur. Canon. Doct.

Franciſcus de Roxas & Valençuela.
Jur. Canon. Doct.

Hyacinthus Aguado & Chacòn.
Jur. Canon. Doct.

Martinus de Vilches Garrido.
Sac. Theolog. Lic.

An-

Andræas Rebollo & Sande.
Sac. Theolog. Doct.

Joannes Rodriguez Blanes.
Sac. Theolog. Bacch.

Antonius Chacòn & Coloma.
Sac. Theolog. Bacch.

Joannes de los Cobos & Peinado.
Sac. Theolog. Lic.

Didacus de Contreras.
Sac. Theolog. Lic.

Hiſcius de Salazàr. & Queſada.
Sac. Theolog. Bacch.

Joſephus de Merida & Morales.
Sac. Theolog. Lic. & Secr. Colleg.

Loco ✠ Sigilli